

13.

13. 5

VOTIVÆ ACCLAMATIONES,
VIRO

Clarissimo atq; Experientissimo

Dn. JOHANNI GEORGIO
WALTHERO

Lignicensi, Medici per universam Silesiam nominatis-
sime jam defuncti, filio, paternarum virtutum æmulo dexterrimo, cum Ipsi ob insignem artis cognitionem, laudabilem eupra-
xiam, plurimaq; dona medica,

*Summos in Medicina Honores, Privilegia & Im-
munitates, IV. Maji ex merito suo, publicè conferret*

INCLITA SALANA,
factæ

à

PATRONIS, COGNATIS, FAUTORIBUS
ET AMICIS.

Anno

CIO IOC XL.

LIPSIAE

Exscriptæ à TIMOTHEO RITZSCHIO.





WALTHERE, ex animo dilectæ piisq; pro-
bisq; ,

Spes dulcis PATRIÆ, flosq; decusq; PA-
TRIS:

Inunc, Silesios exornature colonos,
& fracture malæ spicula tetra necis,

Sic Tu nobiscum es versatus, adeptus honorum
ut, si quisquam alius, sis bene dignus opes.


Posthac Principibus placeas, medearis & ægris ,

WALTHERI ut nomen sole in utroq; micet?

*Honores Doctores, cum appreciatione omnis
faustitatis practicæ ex animo gratulatur
tuis honestis conatibus addictissimus*

GVERNERUS RÖLFINCK Hamburg.

Facult. Medic. Sen. Decanus, Medicinæ
Practicæ & Chimicæ P. Publicus.



Sicut palma jugis nemorosus nobilis arbor
præduro surgit pondere pressa magis;
Ardua sic virtus præsigne cacumen honoris
usq; petit, quamvis sit bene quassa malis.

Hoc Tu testantur, Walthere decore, tropæa
clara, Tibi statuit quæ Meditrina nitens.

Cura discussis nebulis nunc gaudia surgant
pectore, solennis nam Tibi surgit honor.

Apprecor egregiis bona tot felicia donis,
lilia quot pratis quot violæq; virent.

Cl. DO. JANO GEORGIO WALTHERO,
Amico & Inquilino meo percaro, de honoribus Docto-
ralibus, ex animo hisce versiculis gratulor

Ortholphus Fomann, Secundus,
U. J. D. & P. P.

Clariss-

Clarissimo & Excellentissimo Dn. W^{AL}THERO.

Quisquis es Aonios ne respue ferre labores,
Queis tibi perpetuus conciliatur honos.
Respice Waltherum, cuius merita æquus Apollo
sic pensat! Veniant uberiora viro.

Paulus Marquartus Slegel, Promotor.

~~~~~

**R**em miram pulchramq; facis, Cognate colende,  
Tempore dum veris gaudia messis agis.

Hippocratis doctos coluisti strenuus agros

Haectenus, intentis nocte dieq; operis.

Nunc summos titulos messemq; capeffis honorum,

Virtutis testes premiaq; ampla tua.

O faxit Fons ille boni, bona ut ista reportes

Salvus, & hinc patris commoda multa feras.

Sic precatur amico animo,

occupato calamo,

Michaël Hene Vratisl.

~~~~~

Mars licet usq; fremat, Musarum pessimus osor,

Tu Cognate tamen nil minus illud agis,

Quod Manes Patris, Genitrix, Theosq; cohorsq;

Optat Amicorum, Patria & ipsa jubet.

Grator id obsequium, tanto quod honore refulget,

Qui Patriæ & Generi commoda multa dabit.

ex animo,

T.

Johann Philipp, D.

~~~~~

**D**um se frondoso passim induit arbor amictu,

pregnantiq; novas fronde minatur opes:

Tu quoq; dum Phæbus largitur honoris amictum,

mi Walthere, novas fronte minaris opes:

A 2


Fron.

Fronte minaris opes, crescis, Doctorq; vocari,  
et merito, gaudes, digna brabea petens.  
Cresce diu porrò, fructus cum sænore reddens,  
queis æger tumulum lætior effugiat.  
Cresce, decus Patriæ, magni patris æmula Virtus  
Cresce! Pater votis annue summe meis!

ita

Clariss. nec non Experientiss. Dn. Johanni Geörgio  
V Valthero, Med. D. Dn. Competitori, Fautori &  
amico suo honorando, ex animo gratulatur

Godifridus Mæbius, Med. D.



PARODIA

Od. 36. lib. 1. Carm. Horat.

**E**T corde, & labiis juvat  
Ornare, & calami carmine debito  
Cultorem Medicæ Deæ,  
Qvi nunc Pieriâ DOCTOR in arcâ  
Claris digna laboribus  
Nulli optata magis, suscipit oscula,  
Qvam dulci Patriæ: memor  
Actæ non aliâ lege puertiæ,  
Dilectæq; diu Scholæ.  
Albâ ne careat fausta dies notâ!  
Neu promptæ modus hostiæ,  
Neu morem in solitum sit reqvies precum!  
Neu Praxi celebris brevi  
PATRI Hippocratico cedat acumine!  
Neu desint animi faces,  
Neu felix studium, neu grave præmium!  
Omnes in Reducem pares  
Deponent oculos: nec Medicus loco

Ex-

Excludetur idoneo,  
Permultis aliis ingeniosior.

*scrib.*

GeorgIVs ThebesIVs LignItIensis SILe-  
sIVs, ECCLESiæ patriæ In æDe petri &  
paVLI arChIDiaConVs.

JOANNES GEORGIUS WALTHERUS.

*per anagr.*

AGE VIRTUS VOLANS IN EO SURGE.

**E**ia AGE! SURGE VOLANS *solerti parta labore*  
VIRTUS, *ac hujus nomen ad astra vehe;*

Eja AGE! SURGE, VOLANS IN EO, *sublimè volabis*  
VIRTUS, *& celsà sede locabis eum.*

*Gloria virtutem sequitur, virtusq; laborem,*  
*Et labor, & virtus sternit ad astra viam.*

Theoph. Feigius, P.L.C. Illustris Con-  
sistorii Adessor & Eccles. Mar. Lignic,  
Archi-Diaconus.

**D**um furit immiti discors Germania bello,  
Sœvit & in prolem mater iniqua suam,

Excolis ingenuas, Walthere, quietior artes

Doctus Apollineâ membra fovere manu,

Jamq; Machaöniis fulgent tua pectora flammis,

Sœva quibus morbi tela perire jubes.

Præmia jure bono Medicorum insignia Athenæ

Salenses studiis digna dedere tuis.

Si macer exsangves versat manuaris artus,

Ordinis ut capiat nomina summa sui:

Turpe foret vigiles colere usq; atq; usq; Camœnas,

Præmia nec meritis accipere ulla suis.

A 3

Tu

Tu patriæ, titulis præstans, jam debita solve,  
Cui precium æquivalens reddere nemo potest.  
Non tibi Pæonias didicisse fideliter artes  
Sufficit, cives ars juvet ista tuos.  
Aetheriâ de sede pater tua cepta secundet,  
Mixta tuâ felix sit medicina manû.  
Te morbi timeant, fugiat tua pharmaca lethum,  
Obvia sint curis funera nulla tuis.  
Ecce tibi Ligium civi sua limina pandit,  
Exoptant voltus lamina nostra tuos.  
Quin studiosa tui, tanto dignissima nato  
Mater, te effusis cursibus ire jubet.  
Lætior illa tuis occurret gressibus, atq;  
Inveniet priscum te veniente decus.  
Te Pietas ubicunq; vocat; Qui negligit istam,  
Negligit omnibon fata benigna DEI.

L.M.Q.

Sebastian-Alischerus, P.L.C. Diaconus  
Petro-Paulinus apud Ligios.

*D*um mihi fama refert, Medica velut hætenus Artis  
Intima rimari sedula cura fuit,  
Præmia quod veniant tali tibi digna labore,  
Incepi tacitâ sic mihi mente loqui:  
Si, Walthere, tuo, cujus vestigia adoras,  
Patri, qui quondam Gloria magna chori  
Pæonii fuit, in terris superare dedisset  
Numen, perciperet gaudia quanta sibi!  
Sed postquam, fato sic præstite, desiit esse,  
Gaudet ob id, qui te Patris ad instar amat  
HERTVVIGIUS Ligia meritis benè Consul in urbe,  
Cui longam vitam, faustaq; fata precor;

Gaudet,

Gaudet, & hosce novos letus gratatur honores;  
Unde ego pro nostra fœdere amicitia  
Hoc addo: Augusti cedant, quos nactus, Honores  
Ad Jova laudes, ex patriaq; bono,  
Quam saluus repetas, ut ibi tua dextra medendi  
Arte valens agris commoda ferre queat.

gratulabundus appos.

Zacharias Hertelius.

~~~~~  
ERgò bonis avibus, quo Te vocat ardua Virtus
Perge, parem Primis Te jubet esse Viris.
Cuncta quidem hîc, dolor ah, tristantur & omnia squalent,
Sola cadaveribus plena tumescit humus,
Sed cum continuis agitur Patria morbis,
Certè ægrota Tuam Patria poscet opem.
Hinc tandem Nobis studiis succurre peractis,
Atq; salutiferam, si potes, adde manum.

ita Amico suo certissimo grat.

M. Martinus Rothman / P. L. C. & Schol.

Lign. Pro. R.

~~~~~  
**D**um *W* ALTERE PATRIS vestigia pronus adoras,  
Et Medica summum scandis in arte gradum;  
Letus honore tuo Patria sit ut utilis opto,  
Præsentemq; tuus sentiat ager opem.  
Et sine quo quævis frigentq; rigentq; per orbem,  
Pacis ut externa det *D*eus oro Bonum.  
Sic CHORUS, & THORUS, atq; FORUM revirescere possunt,  
Et bene sic Medico, sic erit Agricola.  
Nam non ex Medico & Medico Respublica constat;  
Ex Medico verum constat & Agricola.

vel: sic est &  
Medico: sic  
bene & Agri-  
cola. Aristote-  
li.

χεορος.



ἄριστος.

QVos seX LVstra tVo ante Patri ConCessit honores  
JVLIA, iam Confert Jena tibi CrItIca.

*ex animo c.*

Johannes Haidorn, ConR. Sch.L.

~~~~~  
UT Medici ornatum titulis & honore galeri,
WALTHERUM, ad Patriæ Sala remisit agros;
Plebs cupidis reducem circumdare gestiit ulnis,
Gratata est Civi parta brabæa suo.

Scilicet auditur pasim per compita plausus,

Quando redux merces fert onerata ratis.

Vox erat una: Patris spes nunc effloruit actu:

Nempe sui similis post sua fata venit.

Vox erat: En nostræ felix erit ille salutis

Curio; cui curæ debile corpus erit.

Accino: concepta spes & fiducia Cives

Ne fallat; J E S U, qui facis omne, juva.

Hæc gratulantium agmen claudit in honorem

Concivis sui amicissimi Lipsiæ

Johannes Dæmelius,

J. U. Stud.

F I N I S.



13.

Dn. J C

Lignicensi,
fimi jam defu
mo, cum Ip

Summos
muni

PATR

13.

5

ES,

ORGIO

m nominatis-
emulo dexteri-
dabilem eupra-

legia & Im-
conferret

ORIBUS

io.

